MISCELLANEA SOPHOCLEA

Eduard Wunder

Augusto Weicherto

S. D. P.

Eduardus Wunderus.

Illustris Moldani rectoratu abeunti et ex collegio nostro discedenti cum aliquod munusculum offerre Tibi cuperemus, quo nostri apud Te memoriam relinqueremus, visum est has ad Te litteras mittere, quibus et Tua in hanc scholam merita eximia testaremur et animum nostrum in Te gratum et benevolum declararemus. Ita enim cum sanctissimum pietatis officium exsequeremur, gratum Tibi nos facturos putabamus, si temporis praesentis dolorem iucunda quadam peractorum laborum Tuorum commemoratione lenire conaremur. Nam cum non senectute confectus, sed gravi diuturnaque valetudine fractus rectoratum huius scholae deponeres, fieri non potuit, quin magno dolore afficerere, quod, qui vitam laboriosissimam existimare dulcissimam soleres, nondum egressus aetatem virilem munere amplissimo, quod summo cum studio sustinebas, abeundum Tibi et in otium quamvis honestissimum recedendum esse videres. Verum ea nobiscum si re-

cordaberis, quae, dum moderatus hanc scholam es, pro salute eius et incrementis susceperis et egeris, dolore illo magnopere leveris necesse est, illud cogitans et intuens, quae multi ne longissimam quidem per vitam exsequantur, ea Te per breve vitae spatium maxima cum laude peregisse.

Ac primum quidem cum anno MDCCCXIX. ex schola Afrana, in qua praeclare professoris munere fungebaris, a supremo concilio, cui res scholasticae et ecclesiasticae patriae nostrae commissae sunt, huc vocatus esses, ut Sturzium rectorem in moderando Moldano adiuvares, ea constat hanc scholam condicione fuisse, ut nisi penitus mutata et instaurata non posse efflorescere rursus videretur. Quamquam enim qui in ea docendi munus habebant, magna doctrina et humanitate erant, tamen plerique cum aetate iam provectiores essent, neque integra docendi alacritate et sollertia gaudebant, neque eo vigore erant, ut ad regendos coercendosque adolescentium animos satis idonei essent. Itaque qui ex hac schola tum in academiam discedebant discipuli, non ea litterarum scientia instructi putabantur, quam consequi solebant, qui ceteras scholas provinciales, Afranam et Portensem, frequentabant. Item multi huius scholae discipuli cum alias ob caussas, de quibus ipse aliquo loco exposuisti, tum propter Sturzii, viri praestantissimi, facilitatem quandam, ex valetudinis imbecillitate ortam, adeo dissolutis moribus esse coeperant, ut non iam virtutis pietatisque templum haec schola videretur. Itaque tantum aberat, ut, qui litteris se dare constituissent pueri certatim in hanc scholam recipi eiusque beneficiis frui cuperent, ut ne statutus quidem discipulorum numerus expleretur.

Talis erat scholae condicio, quo tempore Tu eam gubernare et instaurare iussus es. Qui simulatque ad gubernacula eius accessisti, tanto cum studio, constantia, sapientia incommoda quibus laborabat

gravissima tollere coepisti, ut brevi post ceterarum patriae nostrae scholarum famam si non superare, certe aequare diceretur. Sic enim existimans, sine gravitate et severitate recte administrari rectoratum non posse, brevissimo tempore effecisti, ut discipuli summa cum religione leges scholae observare inciperent. Ita vero non solum mores eorum emendari, verum etiam litterarum tractandarum studium magnopere augeri coepit. Quod quamquam ipse vehementer excitabas insigni, quo litteras docebas, ardore, tamen, quo maiore cum fructu omnes omnino artes litteraeque, quibus aetas puerilis impertiri solet, docerentur, id etiam sedulo agebas, ut, quos gnaviter id munus obituros esse sperabas, in magistrorum collegium cooptarentur. Itaque paucis annis post quam Tu huic scholae praefectus es, adeo laus eius et existimatio per totam patriam crevit, ut longe plures quam quos capere posset in eam recipi flagitarent. Testes autem praeclarissimae illius et prosperrimae industriae, qua tum scholae huic consulebas, cum alii plurimi sunt, tum nonnulli ex collegio nostro, qui tum partim disciplina Tua saluberrima utebamur, partim docendi munere Tecum fungebamur.

Toto autem animo omnique virium contentione cum pro salute discipulorum Tuorum vigilares, tamen ne in otio quidem, si quod erat, otiosus solebas esse, verum explicandis et emendandis cum aliorum scriptorum veterum, tum inprimis poetarum latinorum monumentis tanto cum studio et successu operam dabas, ut quae de iis in publicum emittebas scripta cum Tibi tum scholae nostrae magnam in Germania celebritatem parerent. Cuiusmodi studiis quomodo vacare posses, eo magis mirari homines iure solebant, cum non satis haberes, litteris imbuere discipulorum Tuorum ingenia et disciplinam scholasticam regere, sed illud etiam laborares, ut novae eaeque magnificae, in quibus discipuli melius habitarent, aedes sumptu regio exstruerentur

exstruique coeptae quam commodissime instituerentur. Itaque Tua potissimum voce et auctoritate permoti viri illi summi, quibus scholae nostrae tutela commissa est, deturbatis aedibus vetustis maxima cum liberalitate novam eamque amplissimam domum in usum discipulorum aedificarunt. In qua qui et versantur et versabuntur, eius nomen, cuius potissimum impulsu exstructa est, numquam non gratissima memoria usurpabunt.

Quae cum ita essent, etsi nec alios fugiebat et satis ipse intelligere debebas, quam egregio cum successu illustri Moldano praeesses, tamen non poterat non iucundissimum Tibi esse, quod, qui totius patriae res scholasticas et ecclesiasticas curabant, ab iis et virtutem Tuam agnosci et praeclaris magnae in Te benevolentiae documentis Te ornari videbas. Cuiusmodi cum alia plurima exstiterunt, tum haud scio an maximum illud existimandum sit, quod, cum anno MDCCCXXVII. scholae Afranae status accuratius explorandus esset, et inspectori illius gravissimo et Tibi eius rei cura demandata est. Quid, quod ad Regis nostri Augustissimi aures nominis Tui claritas penetravit, ita ut ab eo propter egregia in scholam nostram merita in ordinem equitum reciperereris. Quorum quidem meritorum magnitudinem ut postremo viri illi gravissimi agnoverunt, a quibus munere solutus et pensione annua amplissima ornatus es, ita et nos perpetuo recordabimur animo gratissimo et quicumque insignia in patriam merita animis mentibusque mandant. Vale igitur et honorificentissimo quod nactus es otio quam diutissime fruere.

Scripsimus in illustri apud Grimam Moldano Kal. Aprilibus a. MDCCCXLIII.

Miscellanea Sophoclea.

Soph. Electr. v. 797 *sq.*

Πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος τυχεῖν,
εἰ τήνδ' ἔπαυσας τῆς πολυγλώσσου βοῆς.

Ita hic locus in omnibus codicibus scriptus legitur. Ad quem Hermannus haec adnotavit:

„Multum fallitur Monkius, cum, quod syntaxis post *ἥκοις* requirat *εἰ παύσειας*, scribendum pronuntiat *ἧκες*. Non minus recte *ἥκοις ἄν, εἰ ἔπαυσας,* quam *ἧκες ἄν, εἰ παύσειας* dicitur, sed suo quidque in loco; quin etiam *ἐδιδαξάμην, εἰ μέλλεις,* ut apud Aristoph. Nub. 1838. Sed haec explanari non opus est, cum in omnium manibus sit Matthiaei grammatica, quam vide §. 524."

Ego in editione mea haec ad locum illum scripsi:

„Si posuisset Sophocles, quod Monkius requirit, *πολλῶν ἂν ἧκες* etc., hoc dixisset: ***multis praemiis dignus huc venisses, si loquacitatem huius delevisses.*** Quibus verbis hoc significasset: ***non es autem multis praemiis dignus, quia non delevisti Electrae loquacitatem.*** Atque noluit Clytaemnestra sic loqui, ne esse multis praemiis paedagogum dignum negaret. Quapropter optativo addita *ἂν* particula uti

maluit, quo non negat fieri posse, ut multa praemia accipiat nuntius. Abstinuerunt tamen Latini ab hac loquendi ratione: *multis praemiis dignus sis, si huius loquacitatem delevisses.* Hoc enim accurate translata significant verba Graeca. Sed aliter Graeci versati in hac re sunt. Neque tamen quisquam grammaticorum adhuc plene et recte de Graecorum membris conditionalibus disputavit. Exempla similia et dissimilia composuerunt Matthiaeus §. 524. not. 2. p. 1017. ed. sec. et Rostius §. 121. 8. b.“

Quae etsi vulgo probarunt homines docti, ita ut nemo iam de veritate scripturae vulgatae dubitaret, tamen ego, postquam in legendis scriptoribus Graecis naturam et rationem membrorum conditionalium diligentissime adverti et perspexi, in eam deductus sum sententiam, ut corruptam credam huius loci scripturam esse, facillima certissimaque coniectura emendandam.

Minime vero corruptam credo, quod non possit in membris conditionalibus indicativus praeteriti in protasi et optativus cum ἂν in apodosi poni. Cuius generis exempla quaedam cum Matthiaeus et Rostius aliique viri docti attulerunt, rati, satis illis defendi huius loci Sophoclei scripturam, in magno profecto errore versati sunt. Longe enim aliam locorum eorum, quos allatos ab illis dico, atque huius, de quo agitur, loci rationem esse videbimus.

Ac primum quidem certum est, multas apud Homerum itemque nonnullas apud Herodotum loquendi formas reperiri, quibus Attici et poetae et scriptores prosaici prorsus abstinuerint. Ita, ut unum afferam, quod maxime huc pertinet, uterque quamvis raro in membris absolutis optativo et praesentis et praeteriti temporis addita ἂν particula ita usi reperiuntur, ut significationem temporis praeteriti ei tribuerent. Ita Homerus Il. δ, 539.:

ὣς τώγ' ἐν κονίῃσι παρ' ἀλλήλοισι τετάσθην,
ἤτοι ὁ μὲν Θρῃκῶν, ὁ δ' Ἐπειῶν χαλκοχιτώνων,
ἡγεμόνες· πολλοὶ δὲ περὶ κτείνοντο καὶ ἄλλοι.
Ἔνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελθών,
ὅστις ἔτ' ἄβλητος καὶ ἀνούτατος ὀξέϊ χαλκῷ
δινεύοι κατὰ μέσσον, ἄγοι δέ ἑ Παλλὰς Ἀθήνη,
χειρὸς ἑλοῦσ', αὐτὰρ βελέων ἀπερύκοι ἐρωήν,
πολλοὶ γὰρ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἤματι κείνῳ
πρηνέες ἐν κονίῃσι παρ' ἀλλήλοισι τέταντο.

Adscripsi versus et praecedentes et sequentes, ut cuivis pateret, quod recte monitum iam ab aliis, v. 539. *ὀνόσαιτό κεν* necessario ad tempus praeteritum referendum esse. Eiusdem generis est, quod legitur Il. *ϱ*, 399.:

περὶ δ' αὐτοῦ μῶλος ὀρώρει
ἄγριος· οὐδέ κ' Ἄρης λαοσσόος, οὐδέ κ' Ἀθήνη
τόν γε ἰδοῦσ' ὀνόσαιτ', οὐδ' εἰ μάλα μιν χόλος ἵκοι.

Item certum est, apud eundem Il. *μ*, 58 sq.:

ἔνθ' οὔ κεν ῥέα ἵππος ἐΰτροχον ἅρμα τιταίνων
ἐσβαίη, πεζοὶ δὲ μενοίνεον, εἰ τελέουσιν.

verba *ἐςβαίη κεν* significare ***intrasset*** sive ***intraret.***

Eodem modo Herodotus optativo cum *ἂν* usus est. Sic L. I. c. 2. *μετὰ δὲ ταῦτα Ἑλλήνων τινάς (οὐ γὰρ ἔχουσι τοὔνομα ἀπηγήσασθαι) φασὶ τῆς Φοινίκης ἐς Τύρον προσχόντας ἁρπάσαι τοῦ βασιλῆος τὴν θυγατέρα Εὐρώπην. εἴησαν δ' ἂν οὗτοι Κρῆτες.* Quae verba extrema hoc sensu dicta esse manifestum est: ***suspicor autem Cretenses fuisse.*** Idem ibid. c. 70.: *τάχα δὲ ἂν καὶ οἱ ἀποδόμενοι λέγοιεν ἀπικόμενοι ἐς Σπάρτην, ὡς ἀπαιρεθείησαν ὑπὸ Σαμίων.* Intelligitur hic quoque ex totius loci ratione, *λέγοιεν ἂν* significare, ***fortasse dixerunt.*** Adde eiusdem Lib. VII. c. 180. *τάχα δ' ἄν τι καὶ τοῦ ὀνόματος ἐπαύροιτο* et c. 214. *εἰδείη μὲν γὰρ ἂν* (***sciebat fortasse***) *καὶ ἐὼν μὴ Μηλιεὺς ταύτην τὴν ἀτραπὸν Ὀνήτης, εἰ τῇ χώρῃ πολλὰ ὡμιληκὼς εἴη.* L. VIII. c. 136. *τάχα δ' ἂν καὶ τὰ χρηστήρια ταὐτά οἱ προλέγοι, συμβουλεύοντα σύμμαχον τὸν Ἀθηναῖόν οἱ ποιέεσθαι.* L. IX. c. 71. *ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ φθόνῳ ἂν εἴποιεν.*

Nolo nunc, de qua re alio tempore locoque agam, aut illud exponere, quae videatur eius usus ratio fuisse, nec hoc, cur Attici ea loquendi forma abstinuerint. Abstinuisse autem quamquam non monuit aut Hermannus (de *ἂν* particula L. III. c. 8. p. 167 sqq.) aut Matthiaeus (Gr. Gr. §. 515. not. 2. p. 1168.), de usu illo optativi loquentes, tamen qui neget, nemo facile reperietur. Quis enim ignorat, Atticos, cum dicant, *οὐκ ἂν γένοιτο ταῦτα*, id numquam hoc sensu accipi velle, ***non fieret*** vel ***factum hoc esset,*** sed constanter hoc sensu, ***non fiat hoc.*** Item *εἴθε γένοιτο ταῦτα* numquam ***utinam hoc fieret*** vel ***factum esset,*** sed constanter significat, ***utinam hoc fiat.***

Nihilominus non sine causa illud admonendum hic puto, Atticos, quod constanter omiserunt facere in membris absolutis, ut optativo significationem tribuerent tem-

poris praeteriti, id facere consuevisse in membris pendentibus sive obliquis, ut optativum sine ἂν post particulas finales, temporales, pronomina et adverbia relativa positum ad tempus praeteritum referri vellent, sive ad id tempus, quod significatum est illo membro, ex quo aptum id membrum est, in quo optativus est positus. Ponitur enim optativus tantum post illas particulas et pronomina, si in membro primario verbum finitum tempore praeterito elatum est vel certe eius temporis significatum habet.

Itaque ἔλεξα, ἵν' εἰδείης est *dixi, ut scires*, quo in membro optativus a coniunctivo, post tempus praesens ponendo, λέγω, ἵν' εἰδῇς, quicquid obloquuntur nostrae aetatis grammatici plerique, non differt quicquam nisi temporis significatione. Sed non est huius loci, pluribus de membris finalibus Graecorum disputare, de quibus quae sunt a grammaticis prolata, minime omnino probanda puto; nec illud opus est exemplis ostendi, optativum post particulas temporales et post pronomina et adverbia relativa et in oratione obliqua positum semper ad tempus praeteritum referri. Quamquam ne hoc quidem intellectum a viris doctis esse, vel ex iis apparet, quae Matthiaeus §. 501. p. 1133. ed. tert. scripsit: *In der oratio obliqua hat der Optativ zuweilen die Bedeutung der vergangenen Zeit, z. B. Herodot. I,* 31. *ἐπειρώτα, τίνα δεύτερον μετ' ἐκεῖνον ἴδοι, gesehen hätte etc.*"

Certum est igitur, alium optativi cum ἂν (mittam enim paulisper membra optantium) in membris absolutis, alium optativi sine ἂν in membris obliquis usum apud Atticos fuisse.

Ex quo sequitur continuo, in membris etiam conditionalibus optativum cum ἂν ita ab Atticis usurpari debuisse, ut non tam praeteriti, quam futuri temporis significationem haberet; contra non est, quod dubitemus, quin Homerus et Herodotus in his quoque membris optativum cum ἂν significatu temporis praeteriti usurparint. Atque hoc ipsum, quod ratio ostendit, exemplis confirmatur. Manifestum est enim, eo significatu optativum cum ἂν in his locis ab Homero positum esse:

Il. β, 81.:

Ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπεν,
ψεῦδός κεν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον·
νῦν δ' ἴδεν, ὃς μέγ' ἄριστος Ἀχαιῶν εὔχεται εἶναι.

Cuius loci hunc esse sensum patet: *si quis alius Achivorum somnium illud narrasset,*

mentiri cum diceremus etc. Falli enim Hermannum in explicando hoc loco ad Eurip. Bacch. 1337., infra planum faciemus.

Il. ε, 311 sq.:

καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο ἄναξ ἀνδρῶν Αἰνείας,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη.

Ibid. v. 388 sqq.:

καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο Ἄρης ἄτος πολέμοιο,
εἰ μὴ μητρυιή, περικαλλὴς Ἠερίβοια,
Ἑρμέᾳ ἐξήγγειλεν.

Ibid. ρ, 70 sq.:

ἔνθα κε ῥεῖα φέροι κλυτὰ τεύχεα Πανθοΐδαο
Ἀτρείδης, εἰ μή οἱ ἀγάσσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.

Odyss. α, 236 sq.:

ἐπεὶ οὔ κε θανόντι περ ὧδ' ἀκαχοίμην,
εἰ μετὰ οἷς ἑτάροισι δάμη Τρώων ἐνὶ δήμῳ.

In quibus locis omnibus nemo non intelliget, optativum ad tempus praeteritum referri, ita ut ἀπόλοιτό κεν sit *perisset*, φέροι κεν *auferret* vel *abstulisset*, ἀκαχοίμην κεν *dolerem*.

Cuius tamen generis exempla iam apud Herodotum frustra quaeres. Qui si ita locutus esset, propter ea quae supra ex eius libris attulimus exempla optativi cum ἄν minime miraremur.

Contra quod Atticos nullo modo fecisse reliquus optativi cum ἄν usus statuere nos cogit, ut optativum cum ἄν sensu temporis praeteriti in membris conditionalibus usurparent, id ita esse, facile concedet, qui diligenter eorum scripta perlegerit. Infinitus est enim numerus eorum locorum, in quibus optativus cum ἄν in membris conditionalibus ita ponitur, ut ad tempus futurum pro natura sua referatur. Itaque si quando locus reperietur, qui ei usui refragetur, videndum diligenter erit, ne, quod saepissime factum scimus, librariorum errore vel negligentia depravatus sit. Cuiusmodi loci si lenissima correctione ita restitui poterunt, ut ei consuetudini loquendi congruant, quam pro lege fuisse innumerabilibus exemplis confirmatur, nonne manum emendatricem adhibere praestabit, quam statuere, eum populum, qui diligentissime servare leges grammaticas accuratissimeque cogitata verbis exprimere consuesset,

diversissimis modis et temporibus ad eandem rem significandam ita abusum esse, ut, quid voluisset dici, intelligi recte non posset?

Mirum est autem, quod, cum recte nemodum contendere auderet, optativo cum ἂν Atticos significatum temporis praeteriti in membris conditionalibus tribuisse, tamen reperti sunt, qui locorum illorum, quamvis paucissimorum, scripturam defenderent, qui sani esse iudicari non possunt, nisi temporis praeteriti significationem habere optativum contendas.

In membris conditionalibus indicativus praeteriti cum ponitur in protasi, duplex eius protasis sensus potest esse, ita ut aut ponatur aliquid, quod utrum factum sit vel fiat necne, non quaeratur, aut ponatur aliquid, quod non esse factum vel fieri significetur. Utrum horum protasi significetur, ex sola apodosis conformatione potest intelligi.

Ponitur aliquid, quod utrum factum sit vel fiat necne non quaeritur, si in apodosi aut indicativus cuiusvis temporis sine ἄν, aut optativus cum ἂν ponitur.

Necesse est rem exemplis nonnullis illustrem. Sic Soph. Oed. Col. 969 sqq.:

ἐπεὶ δίδαξον, εἴ τι θέσφατον πατρὶ
χρησμοῖσιν ἱκνεῖθ', ὥστε πρὸς παίδων θανεῖν,
πῶς ἂν δικαίως τοῦτ' ὀνειδίζοις ἐμοί,
ὃς οὔτε βλάστας πω γενεθλίους πατρός,
οὐ μητρὸς εἶχον, ἀλλ' ἀγέννητος τότ' ἦ;
εἰ δ' αὖ φανεὶς δύστηνος, ὡς ἐγὼ 'φάνην,
ἐς χεῖρας ἦλθον πατρὶ καὶ κατέκτανον,
μηδὲν ξυνιεὶς ὧν ἔδρων εἰς οὓς τ' ἔδρων,
πῶς ἂν τό γ' ἆκον πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις;

Cuius loci sensus est: *si datum patri oraculum est, fore, ut a filio occideretur, quo iure tu hoc mihi obiicias? Ac si fati iniquitate coactus cum patre manus conserui eumque occidi, qui possis id, quod invitus feci, mihi exprobrare?* Errant autem, qui in istiusmodi locis indicativo aliquid quod factum sit significari contendunt. Potest quidem id factum esse, quod ponitur, ut erat factum quod in hoc Sophoclis loco ponitur, sed ut factum esse credamus, solo illo indicativo in hoc membrorum conditionalium genere non cogimur. Quo quidem hoc unum significatur, poni rem pro re facta, ita tamen ut non quaeratur, factane sit revera necne.

Thucydid. L. II. c. 60. *ὥστ' εἴ μοι καὶ μέσως ἡγούμενοι μᾶλλον ἑτέρων προςεῖναι αὐτὰ πολεμεῖν ἐπείσθητε, οὐκ ἂν εἰκότως νῦν τοῦ γε ἀδικεῖν αἰτίαν φεροίμην.*

Attulit contenditque hunc locum Matthiaeus (Gr. Gr. §. 524. not. 2. 2. p. 1017. ed. sec. et §. 508. not. 1. p. 1150. ed. tert.) cum Homer. Od. *α*, 236., quem supra p. 5. transscripsi. Qua in re vehementer lapsus est. Hoc enim certum est Periclem apud Thucydidem dicere: *quodsi vel mediocriter illa mihi praeter ceteros adesse existimantes ad bellum gerendum a me adducti estis, nullo meo merito culpam iniuriae sustineam.*

Demosth. p. 1264, 14 sqq. *τούτοις τοῖς νόμοις ἀμφοτέροις ἐκ τῶν πεπραγμένων ἔνοχος Κόνων ἐστὶν οὑτοσί· καὶ γὰρ ὕβριζε καὶ ἐλωποδύτει· εἰ δὲ μὴ κατὰ τούτους προειλόμεθ' ἡμεῖς δίκην λαμβάνειν, ἡμεῖς μὲν ἀπράγμονες καὶ μέτριοι φανοίμεθ' ἂν εἰκότως, οὗτος δ' ὁμοίως πονηρός.*

Id est: *quodsi leges illas in ulciscendis flagitiis illius usurpare noluimus, et nos homines quieti modestique iure existimemur, et iste aeque improbus.*

Demosth. p. 1307, 1 sqq. *εἰ μὲν τοίνυν περὶ τούτων μηδεὶς λόγος ἐξητάσθη, δῶμεν τοῦτο λεληθέναι· εἰ δ' ἐδόθη καὶ διεψηφίσαντο καὶ μηδὲν ᾐτιάσατο πώποτε μηδείς, πῶς οὐ δικαίως ἂν ἔγωγε κατ' ἐκεῖνον Ἀθηναῖος εἴην τὸν τελευτήσαντα, πρὶν ἀμφισβητηθῆναι τοῦ γένους αὐτῷ;*

Idem p. 1453, 19 sq. *εἰ γὰρ ῥήτορες δεινοὶ μᾶλλον εἶναι δοκεῖν ἢ μετ' ἀληθείας ἐπιεικεῖς ἄνθρωποι νομίζεσθαι προείλοντο, οὐδ' αὐτοὶ καλοκἀγαθίας ἄν, ὡς ἔοικεν, ἀμφισβητοῖεν.* Quod recte interpretati sunt: *nam si opinionem eloquentiae laudi veritatis et humanitatis praetulerunt, ne ipse quidem, ut apparet, de eo laborant, ut boni viri habeantur.*

Idem p. 415, 9 sqq. *εἰ τοίνυν μηδὲν ὑμῶν ἠδίκει μηδείς, οὐχ ἡμεῖς χάριν ὑμῖν οὐδενός, ἀλλ' ὑμεῖς ἡμῖν δικαίως ἂν ἔχοιτε τούτων· πολλοὺς γὰρ ὑμῶν μᾶλλον ἀξίους τιμᾶσθαι παρέντες ὑμᾶς ἐσεμνύνομεν· εἰ δὲ δὴ καὶ ἐν αὐτοῖς, οἷς ἐτιμᾶσθε, ἠδίκηκέ τις ὑμῶν, καὶ ταῦτα τοιαῦτα, πόσῳ μᾶλλον ἂν μισοῖσθε δικαίως, ἢ σώζοισθε; ἐγὼ μὲν οἶμαι πολλῷ.* Quorum verborum sensus hic est: *quodsi nemo vestrum quicquam deliquit, non nos vobis, sed vos nobis merito ob eam rem gratiam habeatis; — sin aliquis vestrum in illis ipsis, qui vobis delati sunt, honoribus deliquit, idque tanta in re, quanto magis odio quam conservatione digni estis?*

Idem p. 411, 9. *καὶ γὰρ εἴ τι σιωπᾶν ἐγνώκειν, νῦν λέγειν ἐξάγομαι.*

Idem p. 1000, 9 sqq. *εἰ τοίνυν μηδὲν ἀηδὲς ἦν ἐκ τούτων, μηδ' ὅλως ἀδύνατον ταὐτὸν ἔχειν ὄνομα ἡμῖν συνέβαινεν, οὐ δήπου τοῦτον μὲν δίκαιον τὸ μέρος τῶν ἐμῶν χρημάτων ἔχειν κατὰ τὴν ποίησιν, ἣν ὁ πατὴρ αὐτὸν ἀναγκασθεὶς ἐποιήσατο, ἐμὲ*

δ' ἀφαιρεθῆναι τοὔνομα, ὃ βουλόμενος καὶ οὐδ' ὑφ' ἑνὸς βιασθεὶς ἔθετο. Id est: *quodsi nulla ex ea re molestia oriebatur, neque fieri omnino non potuit, ut idem nomen haberemus, tamen aequum profecto non erat, ut* etc.

Idem p. 1005, 1 sq. ἐπεὶ ἔγωγ', οὐδ' εἰ τὰ μάλιστα ὁ πατὴρ ὄντα σε αὑτοῦ μὴ ἐποιεῖτο, οὐκ ἀδικῶ.

Idem p. 1271, 3 sqq. εἰ γὰρ δὴ ὁμολογουμένως ἔτι τούτων καὶ ἀχρηστοτέροις καὶ πονηροτέροις ἡμῖν εἶναι συνέβαινεν, οὐ τυπτητέοι οὐδὲ ὑβριστέοι δήπου ἐσμέν. Sensus: *quodsi nos illis et inutiliores fuimus et improbiores, tamen propterea non verberandi nec contumelia afficiendi sumus.*

P. 1280, 5 sqq. εἰ δ' ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς ἠδίκει περιοικοδομῶν ὑμᾶς, καὶ νῦν ὑμεῖς ἀδικεῖτε ἐμὲ περιοικοδομοῦντες οὕτω.

P. 1447, 26 sq. εἰ δ' ἄρα ἔδει γενέσθαι καί τι δαιμόνιον τοῦτ' ἀπένειμεν, ὥσπερ πέπρακται, τὰ γεγενημένα λυσιτελεῖν οἴομαι.

P. 354, 17 sqq. καίτοι ταῦτα, εἰ μὲν ἀκοῦσαι μόνον ἔδει καὶ φενακισθῆναι τὴν πόλιν, ὀρθῶς ἐλέγετο, εἰ δὲ πραχθῆναι τῷ ὄντι, σιωπᾶσθαι συνέφερεν. Sensus hic *quamquam illa si audienda tantum erant et verba danda civitati, recte dicebantur, sin gerenda revera, taceri expediebat.*

P. 656, 6 sqq. εἰ γὰρ μηδὲν εἴχετε τῶν ἄλλων λογίσασθαι, μηδ' ἐφ' ὑμῶν αὐτῶν οἷοί τε ἦτε ταῦτα συνεῖναι, ἦν ἰδεῖν παράδειγμα Ὀλυνθίους τουτουσί. Quorum sententia est: *nam si nihil aliud cogitare poteratis, nec ipsi tanta valebatis prudentia, ut illa intelligeretis, exemplo vobis proponere Olynthios poteratis.*

P. 900, 8 sqq. εἰ δὲ τῇ ἀληθείᾳ ἐγγυτὴς ἦν τοῦ Παρμένοντος, διὰ τί πρῶτον μὲν οὐκ εὐθύς, τῆς γνώσεως γενομένης, ἐπράττετο τὴν ἐγγύην;

P. 900, 21 sqq. εἰ δ' ἄρ' ἐμποδών τι αὐτῷ ἐγεγόνει τοῦ μὴ εὐθὺς τότε δικάσασθαι, διὰ τί πέρυσιν ἐπιδημῶν, μὴ ὅτι δικάσασθαι, ἀλλ' οὐδ' ἐγκαλέσαι μοι ἐτόλμησε;

P. 950, 24 sq. καίτοι εἰ ἠφάνιστο τὰ γράμματα, ἐκ ποίων γραμμάτων τὰς δίκας ἐλάγχανες;

P. 1034, 26 sqq. ταῦτα δ' ἀναγνούς, εἰ μὲν μηδὲν αὐτῷ προσῆκε, μηδ' ἀληθῆ τὰ γεγραμμένα ἦν, τί δή ποτ' οὐκ εὐθὺς ἠγανάκτει περὶ αὐτῶν;

P. 651, 24 sq. ἐξῆν γὰρ αὐτῷ τὴν ἀρχὴν μὴ γράφειν, εἴγε τὸ βέλτιστον τῇ πόλει σκοπεῖν ἐβούλετο. Sensus: *licebat enim ei ab initio nihil scribere, si id spectare volebat, quid utile rei publicae esset.* P. 948, 12. καίτοι, εἰ ἦν ὁ πατὴρ παρέσχεν ὑπὸ τοῦδε ἀπεστερεῖτο, αὐτὸν νῦν προσῆκεν ἐκείνοις ἄλλοθεν πορίσαντα δεδωκέναι.

P. 1006, 7 sq. *καίτοι ἐξ ἀρχῆς ἔδει αὐτὸν ἐᾶν τελέσασθαι τὴν δίκην κατὰ Βοιωτοῦ, εἴπερ μηδὲν προςῆκεν αὐτῷ τοῦ ὀνόματος.* P. 1136, 4. *οὐκοῦν αὐτόν, εἴπερ ἐβούλετο ὀρθῶς διαπράττεσθαι, λαχεῖν ἔδει τῆς ἐπικλήρου.* P. 1143, 27. *εἰ γὰρ μὴ τότε σοι παρεγένετο, ὕστερον δήπου ἔδει παραδιδόναι.* P. 1144, 5. *καίτοι ἔδει αὐτόν, εἴπερ ἀληθῆ ἦν, ἅ φασιν αὐτὸν προκαλεῖσθαι, — κελεύειν ἐμὲ* etc. P. 1180, 2 sqq. *ἐχρῆν γὰρ αὐτόν, εἴ τι ἀληθὲς ἦν ὧν λέγει, πρότερον ταῦτα λέγειν.* ibid. v. 12. *ταῦτ' ἐχρῆν ποιεῖν αὐτόν, εἴπερ τι ἦν ἀληθὲς ὧν λέγει.* P. 1199, 23. *χρῆν γὰρ αὐτόν, εἰ μὲν οἰκέται ἤνεγκαν, τοὺς κομίσαντας παραδιδόναι.* P. 1201, 9 sqq. *καίτοι καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ τῶν ἄλλων λημμάτων τοῦ ἀργυρίου μάρτυρας μὴ εἶχε παρασχέσθαι, τοῦτό γ' ἐξελέγξαι ἐκ τοῦ Αἰσχρίωνος.* P. 1255, 2 sq. *ὥςτε καὶ εἰ τούτων ἦν τἀνδράποδα, προςῆκεν αὐτὰ δημόσια εἶναι.* ibid. v. 10 sq. *χρῆν δ' αὐτούς, εἴπερ ἠβούλοντο δικαίως προςφέρεσθαι πρὸς ὑμᾶς, ἀποδείξαντας ἅπασαν τὴν οὐσίαν τὴν ἐκείνου, τὰ τούτων αὐτῶν εἴ τις ἀπέγραψεν, ἀμφισβητεῖν.* P. 1315, 7 sq. *ἐξῆν δὲ δήπου τούτοις, εἰ νόθος ἢ ξένος ἦν ἐγώ, κληρονόμοις εἶναι τῶν ἐμῶν πάντων.* P. 1386, 23 sq. *ὥςτ' εἰ πρότερον ἔγημε γυναῖκα ἀστήν, καὶ εἰσὶν οὗτοι οἱ παῖδες ἐξ ἐκείνης καὶ μὴ Νεαίρας, ἐξῆν αὐτῷ ἐκ τῆς ἀκριβεστάτης μαρτυρίας ἐπιδεῖξαι παραδόντι τὰς θεραπαίνας ταύτας.* P. 1434, 2. *τὴν μὲν οὖν ἀρχὴν εἰ καλῶς ἐγιγνώσκετε, οὐδὲν ἔδει κοινῇ ποιεῖν ὧν ἰδίᾳ μέμφεσθε.*

In nullo horum locorum, quos sine intervallo coniunctim descripsi, *ἂν* particula addi potuit.

Porro postquam illud vidimus, recte in protasi *εἰ* cum indicativo praeteriti poni, in apodosi *ἂν* cum optativo, si protasi aliquid efferatur, quod factum esse sumatur, sequitur, rectissime in eadem illa protasi post illum indicativum praeteriti addi optativum posse, si eo aliquid contineatur, quod fieri posse significetur.

Ita Demosth. p. 426, 27 sqq. *καὶ γὰρ ἂν ὑπερφυὲς εἴη, εἰ κατὰ μὲν τῶν 'Ολυνθίους προδόντων πολλὰ καὶ δεινὰ ἐψηφίσασθε, τοὺς δὲ παρ' ὑμῖν αὐτοῖς ἀδικοῦντας μὴ κολάζοντες φαίνοισθε.* P. 449, 18 sqq. *ἐμοὶ δὲ δοκεῖτε ἀτοπώτατον ἁπάντων ἂν ποιῆσαι, εἰ, ὅτε μὲν τὰ Θυέστου καὶ τῶν ἐπὶ Τροίᾳ κακὰ ἠγωνίζετο, ἐξεβάλλετε αὐτὸν καὶ ἐξεσυρίττετε ἐκ τῶν θεάτρων καὶ μονονοὺ κατελεύετε, οὕτως ὥςτε τελευτῶντα τοῦ τριταγωνιστεῖν ἀποστῆναι, ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐπὶ τῆς σκηνῆς, ἀλλ' ἐν τοῖς κοινοῖς καὶ μεγίστοις τῆς πόλεως πράγμασι μυρία εἴργασται κακά, τηνικαῦτα ὡς καλὸν φθεγγομένῳ προςέχοιτε.* P. 502, 5 sqq. *χωρὶς δὲ τούτων ἀτοπώτατον ἂν*

πάντων συμβαίη, εἰ τότε μὲν τὰ Χαβρίου παρ' ὑμῖν ἔργα μεῖζον ἴσχυε τῶν Λεωδάμαντος λόγων, ἐπειδὴ δὲ ταῦτά τε ὑπάρχει καὶ τὰ τῶν ἄλλων εὐεργετῶν προσγέγονε, τηνικαῦτα σύμπαντα ταῦτα ἀσθενέστερα τῶν τούτου λόγων γίγνοιτο. P. 888, 15 sqq. *πῶς γὰρ οὐκ αἰσχρὸν καὶ δεινὸν ἂν γένοιτο, εἰ Κεφαλῆνες μέν, ὅπως τοῖς Ἀθηναίοις σωθῇ τὰ χρήματα, δεῦρο πλεῖν τὴν ναῦν ἔκριναν, ὑμεῖς δ', ὄντες Ἀθηναῖοι, τὰ τῶν πολιτῶν τοῖς καταποντίσαι βουληθεῖσι δοῦναι γνοίητε, καὶ ἃ μὴ καταπλεῖν ὅλως οὗτος δεῦρο ἔπραττε, ταῦτ' εἰσαγώγιμα τούτῳ ψηφίσαισθε;*

Futurum pro optativo illo, in qua re nihil offensionis est, positum videmus Demosth. p. 1381, 23 sqq. *οὐκοῦν δεινόν, εἰ πρὸς μὲν τοὺς ἀστυγείτονας καὶ ὁμολογουμένους ἀρίστους τῶν Ἑλλήνων εἰς τὴν πόλιν γεγενημένους οὕτω καλῶς καὶ ἀκριβῶς διωρίσασθε περὶ ἑκάστου, ἐφ' οἷς δεῖ ἔχειν τὴν δωρεάν, τὴν δὲ περιφανῶς ἐν ἁπάσῃ τῇ Ἑλλάδι πεπορνευμένην οὕτως αἰσχρῶς καὶ ὀλιγώρως ἐάσετε, ὑβρίζουσαν εἰς τὴν πόλιν καὶ ἀσεβοῦσαν εἰς τοὺς θεούς, ἀτιμώρητον εἶναι.*

His omnibus exemplis, quae hactenus attulimus, illud probatur, quod supra monui, in membris conditionalibus si indicativus praeteriti in protasi ponatur, sequente in apodosi aut indicativo cuiusvis temporis sine ἂν particula aut optativo cum ἂν, protasi illa aliquid efferri, quod factum esse sumatur.

Contra idem ille indicativus praeteriti si ponitur in protasi ita, ut idem ponatur in apodosi addita ἂν particula, tum vero nemo nescit sumi aliquid factum esse, quod non esse factum significetur. Quae res quo magis nota omnibus est, non opus est ut ullo illustretur exemplo. Cfr. Matth. §. 508.

At illud fieri nullo pacto potest, ut, si in protasi aliquid posueris, quod non esse factum adsignifices, in apodosi eo tempore modoque utaris, quo aliquid fieri posse vel fore significetur. Apertum est enim, in membris conditionalibus et poni aliquid et ex eo, quod positum sit, aliquid concludi. Quodsi id non factum esse significo, quod posui, manifestissimum est, ne illud quidem factum esse, vel fieri dici posse, quod consequi ex eo, quod posui, tantum potest. Intercedit enim inter id, quod ponitur, et illud, quod concluditur ex eo, quod positum est, eadem ratio atque inter causam efficientem et effectum. Causa autem efficiens si non exstitit, effectum exstare profecto dici non potest. Itaque nemo unquam Romanorum aut dixit aut dicere potuit: ***tu si medicum consuluisses, hodie valeas***, vel, ***tu si medicum consuleres, hodie valeas***. Nam si quis certa conditione valere posse vel valiturus esse dicitur, si negatur id ipsum factum esse, quo facto valetudo acquiri potuisse dicitur, apparet nullo pacto valere illum vel valiturum

esse dici posse.*) Itaque cum Atticos inepte vel potius absurde scripsisse nemo futurus sit qui contendere audeat, facile apparet, in membris illis conditionalibus, quorum in protasi indicativus praeteriti, in apodosi optativus cum ἂν positus reperiatur, si, quod protasi effertur, ita efferri manifestum sit, ut non esse factum significetur, optativum cum ἂν significationem temporis praeteriti habere necessario existimandum esse. Quod cum credi non posse supra docuerimus, nec omnino quisquam adhuc exstiterit, qui credendum id esse monuerit, in ea sum sententia, ut corruptos esse locos illos putem, in quibus inaudita illa ratione optativum cum ἂν positum videmus.

Recte in Euripidis Bacch. v. 1337. Hermannus ita scripsit:

εἰ δὲ σωφρονεῖν
ἔγνωθ᾽, ὅτ᾽ οὐκ ἐθέλετε, τὸν Διὸς γόνον
εὐδαιμονεῖτ᾽ ἂν σύμμαχον κεκτημένοι.

---

*) Scribitur nunc apud Livium VI. 40.: *Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit, cum Porsena Ianiculum insedit, quale Gallicum modo, cum praeter Capitolium atque arcem omnia haec hostium erant, et consulatum cum hoc M. Furio et quolibet alio ex patribus L. ille Sestius peteret: possetisne ferre, Sestium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare?* At quis tandem animum inducet, tanta fuisse Livium negligentia, ut in membris illis, quae protasin efficiunt, ad unum idemque tempus spectantibus, *si hodie bella sint — et consulatum L. Sestius peteret*, et praesentis et imperfecti coniunctivos poneret? Itaque mihi non dubium videtur, quin Livius *bella essent* scripserit, quod facile librarii negligentia mutari in scripturam vulgatam potuit. Errare autem magnopere eos existimo, qui haec et similia vulgarem Romanorum consuetudinem tulisse, ex paucissimis quibusdam locis poetarum concludi posse opinantur. Quorum quidem locorum rationem si quis diligentius consideraverit, facile intelliget, in iis poetas aut ellipsi aut anacolutho quodam usos esse. Ita Tibullus cum I. 4, 63 sqq. scripsit: *carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint, ex humero Pelopis non nituisset ebur. Quem referent Musae, vivet, dum robora tellus, dum coelum stellas, dum vehet amnis aquas*, certum mihi quidem videtur, hoc eum dicere voluisse: *carmina ni sint, nec niteat, nec nituisset ebur ex Pelopis humero.* Aliter explicandum, quod idem vulgo putatur scripsisse I. 8, 21. *cantus et e curru Lunam deducere tentat; et faceret, si non aera repulsa sonent.* Quo tamen in loco nescio an restituendum sit quod legitur in codice Regio, *et faciet.* Nisi quis excusandam scripturam vulgatam existimabit exemplo Virgilii, quem equidem non dubito negligentiae vel insolentiae accusare, cum scripsit, quod a classicorum scriptorum usu abhorret, Georg. IV. 116 sqq.: *atque equidem extremo ni iam sub fine laborum vela traham et terris festinem advertere proram, forsitan et, pinguis hortos quae cura colendi ornaret, canerem.* Contra minime reprehendendum, quod idem scripsit Aen. II. 599 sqq.: *non prius aspicies, ubi fessum aetate parentem liqueris Anchisen? superet coniunxne Creusa Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae circum errant acies, et, ni mea cura resistat, iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.* Nam ut infinitivus perfecti saepe a poetis latinis similiter atque a Graecis infinitivus aoristi ita usurpatur, ut videatur praesentis habere significatum, ita coniunctivi *tulerint* et *hauserit* idem hic atque Graecorum optativus aoristi addita ἂν particula significant.

Verum ab eodem quae ad locum illum adnotata sunt, non omnino vera esse, ex iis, quae hactenus ego exposui, facile patebit. Adnotata autem haec sunt:
„Libri *εὐδαιμονοῖτ᾽ ἄν*, quod servarunt Matthiae et Elmsleius. Musgravius scribendum putabat *ηὐδαιμονεῖτ᾽ ἄν*, quod interpretatur, *fuissetis felices*, cum ita deberet, *essetis felices.* Brunckius recte edidit *εὐδαιμονεῖτ᾽ ἄν.* Indicativi enim haec vis est, ut contrarium verum esse indicet, i. e. *at non estis felices.* Optativus autem dubitationem continet, et non adsignificat verum esse contrarium, sed posse verum esse, posse etiam non esse verum. Id cum multis possit exemplis demonstrari, satis duco illis duobus uti, quae Elmsleius attulit: Euripidis Suppl. 774.:

φαίης ἄν, εἰ παρῆσθ᾽, ὅτ᾽ ἠγάπα νεκρούς.

Indicativo si usus esset, diceret, *concederes, bonum virum esse Theseum, si ista vidisses; at non concedis.* Id vero nec voluit, nec potuit dicere. Quare sic loquitur: *concedas, si vidisses:* i. e. nescio quid dicturus sis, sed puto concessurum. Homerus Il. β, 80.:

εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπεν,
ψεῦδός κεν φαῖμεν καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον.

Si indicativum posuisset, hic sensus esset: *si quis alius hoc somnium narrasset, mendacium esse diceremus et abhorreremus; at non narravit alius; itaque non ita sentimus.* Facile apparet, quam haec impolita oratio fuisset. Omnes enim alios excepto Agamemnone mendaces esse affirmaret. Nunc optativo usus hoc dicit: *alius si narrasset, dicamus mendacium esse et abhorreamus.* Id est tum fortasse possimus mendacium vocare; ex quo non sequitur, mendaces illos esse, sed dubitari quodammodo de eorum fide posse. Haec qui animo reputaverit, facile intelliget, hic non aptum esse optativum, praesertim cum additum sit, *τὸν Διὸς γένον σύμμαχον κεκτημένοι.*"

Ex his minime probanda sunt, quae de Euripidis Suppl. v. 774 et Homeri Il. β, 80 disputavit. Atque illud quidem modo planum fecimus, ut latine dici non possit *concedas, si vidisses*, ita in Euripidis Suppl. v. 774. optativum cum *ἄν*, *φαίης ἄν*, necessario ad tempus praeteritum referri debere, si *παρῆσθα* significet, quod vult Hermannus, *si adfuisses.* At fallitur in tota eius versus interpretatione Hermannus, deceptus, ut videtur, ab Elmsleio ad Eurip. Bacch. 1341. Habetur illic colloquium inter Adrastum et nuntium Argivum, sic ut nuntius Adrasto de ducum militumque gregariorum sepultura et procuratione exponat. En totum locum, qualis vulgo scribitur:

ΑΔΡ. ὧν δ' οὕνεχ' ἀγὼν ἦν, νεκροὺς κομίζετε;
ΑΓ. ὅσοι γε κλεινοῖς ἐπτ' ἐφέστασαν δόμοις;
ΑΔΡ. πῶς φῄς; ὁ δ' ἄλλος ποῦ κεκμηκότων ὄχλος;
ΑΓ. τάφῳ δέδονται πρὸς Κιθαιρῶνος πτυχαῖς.
ΑΔΡ. τοὐκεῖθεν ἢ τοὐνθένδε; τίς δ' ἔθαψέ νιν;
ΑΓ. Θησεύς, σκιώδης ἔνθ' Ἐλευθερὶς πέτρα.
ΑΔΡ. οὓς δ' οὐκ ἔθαψε, πῇ νεκροὺς ἥκεις λιπών;
ΑΓ. ἐγγύς. πέλας γὰρ πᾶν ὅ τι σπουδάζεται.
ΑΔΡ. ἦπου πικρῶς νιν θέραπες ἦγον ἐκ φόνου;
ΑΓ. οὐδεὶς ἐπέστη τῷδε δοῦλος ὢν πόνῳ.
φαίης ἄν, εἰ παρῆσθ', ὅτ' ἠγάπα νεκρούς.
ΑΔΡ. ἔνιψεν αὐτὸς τῶν ταλαιπώρων σφαγάς;
ΑΓ. κἀστρωσέ γ' εὐνὰς κἀκάλυψε σώματα.

Vides, illud fieri non posse, ut ad verba φαίης ἄν, id quod Hermannus cum Elmsleio fecit, haec intelligantur, *Theseum optimum virum esse.* Item hoc manifestum videtur, turbatum hic ordinem personarum vel etiam versuum esse, interruptam στιχομυθίαν, nec posse versum illum, de quo agitur, commode explicari, si nuntio adsignetur. Non video nunc, qua ratione omnis illa difficultas tolli queat; sed hoc non dubito, quin Adrasti fuerit versus ille. A quo patet, commodo in loco positum, rectissime eum efferri potuisse hoc sensu: *dicere poteris* (scil. quod ex te quaero), *si adfuisti, cum mortuos ille curabat.*

Homerici loci quam proposuit Hermannus interpretationem, *alius si narrasset, dicamus mendacium esse et abhorreamus,* ea cur ferri nequeat, paulo ante satis superque demonstrávimus. Item illud cum exemplis multis confirmatum sit, apud Homerum optativum cum ἄν in membris conditionalibus ad tempus praeteritum etiam referri, certum est, horum versuum:

εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπεν,
ψεῦδός κεν φαῖμεν καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον.
νῦν δ' ἴδεν, ὃς μέγ' ἄριστος Ἀχαιῶν εὔχεται εἶναι.

sensum hunc esse: *si quis alius Achivorum, qui minore fide et auctoritate esset, hoc somnium narrasset, mendacium esse diceremus et abhorreremus. Nunc vero vidit, qui maxima est auctoritate.* Quam orationem errat Hermannus cum impolitam esse ait, quod ita Nestor omnes alios excepto Agamemnone mendaces esse affirmet.

Interest enim aliquid, opinor, inter ἄλλος τις τῶν Ἀχαιῶν et οἱ ἄλλοι πάντες Ἀχαιοί.

Redeo ad Sophoclis Electr. v. 797 sq.:

πολλῶν ἂν ἥκοις, ὦ ξέν', ἄξιος τυχεῖν,
εἰ τήνδ' ἔπαυσας τῆς πολυγλώσσου βοῆς.

Cuius loci sensus ex usu Atticorum, ut vidimus, hic tantum esse potest: *multis praemiis dignus sis sive eris, si Electrae loquacitatem delevisti.* Quod ita tantum a Clytaemnestra dici potuisset, si nescivisset, utrum deleta Electrae loquacitas a nuntio esset necne. Atqui sciebat idque ipsum dolebat, non deletam esse filiae, quae aderat, loquacitatem.

Neque vero cum Monkio scribi posse πολλῶν ἂν ἥκες, in adnotatione ego olim iam docui. Sed illud mirum est neminem dum hominum doctorum divinasse, Sophoclem sic scripsisse:

ΕΙΤΗΝΔΕΠΑΥΣΑΙΣ

i. e. εἰ τήνγε παύσαις, hoc sensu, qui solus totius colloquii rationi convenit: *multis eris praemiis dignus, si huius loquacitatem deleas.* Forma autem παύσαις quamquam rarior est apud Atticos quam παύσειας, tamen non aliena a consuetudine tragicorum. Sic ἀλγύναις dixit Sophocles Oed. R. v. 446. Cfr. Elmsleius ad Eurip. Med. 319.

Apud Platonem Phaedon. p. 89. E. satis est lectores propter Matthiaeum, qui male usus eo loco est p. 1150. ed. tert., admonuisse, non οὕτως ἂν ἡγήσαιτο, sed οὕτως ἂν ἡγήσατο Bekkerum et qui secuti sunt editores cum optimis codicibus scripsisse.

In oratione amatoria, quae vulgo Demostheni adscribitur, p. 1409, 19 sq. ex recensione Reiskii et Schaeferi scribitur: ἅπαντας μὲν οὖν εἰ διεξῄειν τοὺς ἀγῶνας, ἴσως ἂν ἄκαιρον μῆκος ἡμῖν ἐπιγένοιτο τῷ λόγῳ.

At recte iam Bekkerus non sine codicibus pro διεξῄειν restituit διεξιοίην.

Apud eundem in oratione contra Theocrin., si quidem est Demosthenis, p. 1336, 26. nunc scribitur: ἡδέως δ' ἂν ἐροίμην Θεοκρίνην ἐναντίον ὑμῶν, εἴ μοι ἤμελλεν ἀποκρίνεσθαι δικαίως.

At codex optimus, Augustanus primus, habet ἠρόμην, quod recte Schaeferus restituendum putavit.

In Theocriti Id. XVIII. v. 21. etiam nunc scribi videmus:

ἦ μέγα τοί κε τέκοιτ', εἰ ματέρι τίκτεν ὁμοῖον.

quamquam post alios iam Kiesslingius monuit restituendum optativum τίκτοι esse,

qui in cod. Med. super vulgato *τίκτεν* scriptus reperitur. Aut igitur ille restituendus, aut scribendum, quod probabilius etiam videatur, *τίκτει*. Rectissime enim indicativus praesentis hic se habet.

Adhuc duo probavimus, neque optativum cum ἂν cum in ceteris membris absolutis tum in conditionalibus umquam apud Atticos temporis praeteriti significationem habere, neque fieri in membris conditionalibus posse, ut, si in protasi aliquid posueris, quod non esse factum vel non fieri animadverti velis, in apodosi eo tempore modoque utaris, quo aliquid fieri posse vel fore significetur.

Iam quae optativi cum ἂν in apodosi membri conditionalis positi significatio consuevit esse, eadem necessario existimanda est eiusdem modi fuisse in protasi collocati. Item nemo umquam in membro conditionali, si in protasi aliquid posuerit, quod fieri posse vel fore ostenderit, in eiusdem membri apodosi eo tempore modoque utetur, quo aliquid non factum esse vel non fieri significatur. Neque quisquam Latinorum umquam dixit: *tu si medicum consulas, hodie valuisses* vel *hodie valeres*.

Itaque quod res ipsa docet dici a Graecis non potuisse, id cave ne dictum esse corruptis exemplis adducaris. Scribitur nunc in Xenophontis Cyrop. II. 1, 9.: *ἐγὼ μὲν ἄν, ἔφη ὁ Κῦρος, εἰ ἔχοιμι, ὡς τάχιστα ὅπλα ἐποιούμην πᾶσι Πέρσαις τοῖς προσιοῦσιν, οἷάπερ ἔρχονται ἔχοντες οἱ παρ' ἡμῶν, οἱ τῶν ὁμοτίμων καλούμενοι.*

Ad quem locum Poppo, quem recentiores editores omnes secuti sunt, haec adnotavit: „Hanc librorum fere omnium scripturam, quamvis a soloecismo, ut videatur, haud liberam, tamen retinuimus, quoniam probabilem eius corrigendae rationem nondum invenimus. Schneiderus quidem *ἐποιούμην* e codice Budense mutavit in *ποιοίμην*, sed hic non *si possim* — et fortassis ita eveniat — *arma fabricanda curem*, sed *si possem* — at non possum — *curarem*, dicendum erat. Exspectes igitur *εἰ εἶχον — ἐποιούμην ἄν*. Libri nihil discrepant, nisi quod in Ald. et Alt. pro *εἰ ἔχοιμι* est *εἰ σὺ εἴην*, quae olim vulgata fuit lectio, quam in *εἰ σὺ ἦν* mutandam censeas, parum tamen probabiliter. Cum nostris verbis comparari potest locus Platonis *εἰ βουληθείημεν — ἂν ἦσαν*, quem laudavit Matth. Gr. Gr. p. 748. Neque multum recedunt verba VII. 5, 61. *οὐδεὶς γὰρ ἂν ἦν, ὅστις οὐκ ἂν ἀξιώσειεν εὐνοῦχον πλέον ἔχειν ἐν παντί, εἰ μή τι ἄλλο κρεῖττον ἀπείργοι.* In quibus tamen *ἂν ἦν*, quorum illud in Guelf. deest, suspectum videtur Weiskio."

At mirum est, non intellectum a viris doctis esse, vehementer hic falli Popponem. Cyrus enim a Cyaxare interrogatus cum illud expositurus est, quid faciendum

sit, ut hostes, numero longe superiores, tamen vincantur, eo minus existimari potest sic respondisse, ut, quod fieri non posset nec ipse facturus esset, proferret, cum ea ipsa arma, quae fabricanda hic dicuntur, Cyrus statim impetret a Cyaxare, ut Persis adventuris fieri iubeat. Item luculenter apparet ex iis, quae statim addit Cyrus, talia eum protulisse, quae et fieri posse et futura esse opinaretur. Addit autem post illa verba, quae modo descripsimus, haec: *ταῦτα δ' ἐστὶ θώραξ μὲν περὶ τὰ στέρνα, γέῤῥον δ' εἰς τὴν ἀριστεράν, κοπὶς δ' ἢ σάγαρις εἰς τὴν δεξιάν· κἂν ταῦτα παρασκευάσῃς, ἡμῖν μὲν ποιήσεις τὸ ὁμόσε τοῖς ἐναντίοις ἰέναι ἀσφαλέστατον, τοῖς πολεμίοις δὲ τὸ φεύγειν ἢ τὸ μένειν αἱρετώτερον. — Κῦρος μὲν οὕτως ἔλεξε· τῷ δὲ Κυαξάρῃ ἔδοξέ τ' εὖ λέγειν, καὶ τοῦ μὲν πλείους μεταπέμπεσθαι οὐκέτι ἐμέμνητο, παρεσκευάζετο δ' ὅπλα τὰ προειρημένα.*

In quibus prae ceteris adverte verba *κἂν ταῦτα παρασκευάσῃς,* quae ita dicta esse patet, ut eventura esse vel evenire posse significaret Cyrus, quae proposuit. Verissime igitur Schneiderus pro *ἐποιούμην* ex codice Budense optativum *ποιοίμην* restituit.

Porro minime debebat Poppo ad defendendam huius loci scripturam ea afferre, quae in eadem Cyrop. VII. 5, 61. leguntur. Quo in loco illud certum est, enuntiatum conditionale his membris contineri, *ἕκαστος ἂν ἀξιώσειεν εὐνούχου πλέον ἔχειν ἐν παντί, εἰ μή τι ἄλλο κρεῖττον ἀπείργοι.* Quae rectissime et ex usu vulgari dicta esse patet. Nihilominus data opportunitate illud adiicio, non solum *ἂν* particulam, vulgo post *γὰρ* additam, ibi cum codice Guelf., sed etiam *ἦν* verbum cum Weiskio necessario deleri debere. Utrumque additum ab interprete est. Alienissimum autem imperfectum *ἦν* ab illo loco propterea, quod Xenophon in antecedentibus pariter atque in sequentibus de suo nonnulla addit de eunuchis dicitque, non quales fuerint, sed quales sint. Totus ergo locus sic se habuit: *πρὸς δὲ τούτοις ἄδοξοι ὄντες οἱ εὐνοῦχοι παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις καὶ διὰ τοῦτο προσδέονται· οὐδεὶς γὰρ ὅστις οὐκ ἂν ἀξιώσειεν εὐνούχου πλέον ἔχειν ἐν παντί, εἰ μή τι ἄλλο κρεῖττον ἀπείργοι· δεσπότῃ δὲ πιστὸν ὄντα οὐδὲν κωλύει πρωτεύειν καὶ τὸν εὐνοῦχον.*

Apud Platonem in Alcibiad. I. p. 111. E., quem locum Matthiaeus Gr. Gr. p. 1151. ed. tert. attulit, nunc ita scribitur:

Τί δ' εἰ βουληθείημεν εἰδέναι μὴ μόνον ποῖοι ἄνθρωποί εἰσιν, ἀλλ' ὁποῖοι ὑγιεινοὶ ἢ νοσώδεις, ἆρ' ἱκανοὶ ἂν ἡμῖν ἦσαν διδάσκαλοι οἱ πολλοί;

Cuius loci scripturam vulgatam Stallbaumius ita tueri conatus est: „Quominus

pro ἦσαν corrigas εἴησαν cum Boeckhio in Min. et Legg. p. 101 sq. atque Heindorfio ad Theaet. p. 298., vel hoc prohibet, quod statim subiungitur: ἦν δ' ἄν σοι τεκμήριον etc. Huc accedit, quod, iudice Buttmanno, formae perrarae εἴησαν nonnisi ex Thucydide et Xenophonte pauca exempla afferuntur, de qua ro monuit Gr. Ampl. §. 108. Observ. 14. not. Denique quanta Graeci in enuntiatis hypotheticis conformandis usi sint varietate reputantibus mirum videri neutiquam poterit, quod etiam imperfectum particulae ἄν iunctum cum optativo consociarunt. Vide Matth. Gr. §. 524. 3., Poppo ad Xenoph. Cyrop. II. 1, 9. Est autem huius coniunctionis ea ratio, ut, quod protasi continetur, significetur fieri posse, quod autem apodosi, id accidere posse negetur."

At istiusmodi membra neminem, qui recte loquatur, coniungere posse, satis est supra demonstratum. Itaque εἰ βουληθείημεν hic contra omnem usum significare *si vellemus* statuendum esset, nisi in promptu facillima emendatio esset. Neque enim dubito, quin scripserit Plato εἰ ἐβουλήθημεν. Quae scriptura ut corrumperetur a librariis, hoc fuit in causa, quod in praecedentibus ita locutus est Plato:

ΣΩ. τί δ' εἰ βουληθεῖμεν εἰδέναι μὴ μόνον, ποῖοι ἄνθρωποί εἰσιν ἢ ποῖοι ἵπποι, ἀλλὰ καὶ τίνες αὐτῶν δρομικοί τε καὶ μή, ἆρ' ἔτι οἱ πολλοὶ τοῦτο ἱκανοὶ διδάξαι;

ΑΛ. οὐ δῆτα.

His ipsis autem verbis quae continuo adiecit quemadmodum sic extulit:

ΣΩ. ἱκανὸν δέ σοι τεκμήριον, ὅτι οὐκ ἐπίστανται οὐδὲ χρήγυοι διδάσκαλοί εἰσι τούτων, ἐπειδὴ οὐδὲν ὁμολογοῦσιν ἑαυτοῖς περὶ αὐτῶν; — ΑΛ. ἔμοιγε.

ita vel ex iis, quae post eum, de quo agitur, locum statim sequuntur verba:

ἦν δ' ἄν σοι τεκμήριον, ὅτι μοχθηροί εἰσι τούτων διδάσκαλοι, εἰ ἑώρας αὐτοὺς διαφερομένους;

facile quivis intelliget, cur pro eo, quod ante posuit, εἰ βουληθεῖμεν, nunc ita dicere maluerit, εἰ ἐβουλήθημεν — ἱκανοὶ ἂν ἦσαν.

Valde diversi ab iis locis, quos adhuc tractavimus, illi sunt, in quibus εἰ particula cum optativo iungitur, in apodosi sequente indicativo praeteriti, rem factam significante, aut propter orationem obliquam, aut ita ut εἰ particulae temporalis ὁπότε significationem includat. In utriusque generis locis optativus ad tempus praeteritum refertur necessario propterea, quia aptus est ex eo verbo, quod temporis praeteriti significatum habet. Vide quae supra monuimus.

Rectissime ergo se habent, quae v. c. Demosthenes de Philippo p. 443, 8 sqq. dicit:

τοῦτο δ' οὐκ ἦν εὔπορον· συνῆκτο γὰρ αὐτῷ τὰ πράγματα, ὥσπερ ἐκ τύχης, εἰς καιρὸν τοιοῦτον, ὥςτε ἢ μηδὲν ὧν ἐβούλετο εἶναι διαπράξασθαι, ἢ ἀνάγκην εἶναι ψεύσασθαι καὶ ἐπιορκῆσαι καὶ μάρτυρας τῆς αὐτοῦ κακίας ἅπαντας Ἕλληνας καὶ βαρβάρους ποιήσασθαι. εἰ μὲν γὰρ προςδέξαιτο Φωκέας συμμάχους καὶ μεθ' ὑμῶν τοὺς ὅρκους αὐτοῖς ἀποδοίη, τοὺς πρὸς Θετταλοὺς καὶ Θηβαίους ὅρκους παραβαίνειν εὐθὺς ἀναγκαῖον ἦν· ὧν τοῖς μὲν τὴν Βοιωτίαν συνεξαιρήσειν ὀμωμόκει, τοῖς δὲ τὴν Πυλαίαν συγκαταστήσειν· εἰ δὲ μὴ προςδέχοιτο, ὥςπερ οὐ προςίετο, οὐκ ἐάσειν ὑμᾶς αὐτὸν παρελθεῖν ἡγεῖτο, ἀλλὰ βοηθήσειν εἰς Πύλας· ὅπερ, εἰ μὴ παρεκρούσθητ', ἐποιήσατ' ἄν· εἰ δὲ τοῦτο γένοιτο, οὐκ ἐνεῖναι παρελθεῖν ἐλογίζετο.

Hic quae relata a Demosthene legimus si oratione recta efferre volueris, ita patet efferri debere: *ἐὰν μὲν γὰρ προςδέχωμαι Φωκέας συμμάχους καὶ μετὰ τῶν Ἀθηναίων τοὺς ὅρκους αὐτοῖς ἀποδῶ, τοὺς πρὸς Θετταλοὺς καὶ Θηβαίους ὅρκους παραβαίνειν εὐθὺς ἀναγκαῖόν ἐστιν. — ἐὰν δὲ μὴ προςδέχωμαι, οὐκ ἐάσειν τοὺς Ἀθηναίους ἐμὲ παρελθεῖν ἡγοῦμαι* etc. Eadem res cum oratione obliqua narratur verbumque finitum tempore praeterito effertur, in membro conditionali ex usu vulgari pro *ἐὰν* et coniunctivo substitui *εἰ* et optativum constat; quamquam nonnunquam etiamtum ea forma, quae propria orationi directae est, retineri solet. Hinc sententia generalis, quae tempore praesente elata *ὅταν* et coniunctivum flagitat, cum tempore praeterito effertur, *ὅτε* vel *ὁπότε* vel ipsum illud *εἰ*, de quo agitur, et optativum flagitat. Ergo ut hoc, ***cum aggrediuntur Athenienses, me recipere, cum recedunt, instare soleo,*** graece dicendum est, *ὅταν μὲν ἐπίωσιν οἱ Ἀθηναῖοι, ὑποχωρῶ, ὅταν δ' ἀναχωρῶσιν, ἐπίκειμαι,* ita idem tempore praeterito elatum sic dicitur, *ὅτε ἐπίοιεν οἱ Ἀθηναῖοι, ὑπεχώρουν, ὅτε δ' ἀναχωροῖεν, ἐπεκείμην.* Quod si ita dicunt Graeci, ut in particula et temporis et conditionis vim inesse velint, *εἰ* eligi solere constat. Cuius usus exempla vide apud Matth. §. 521. 2. p. 1193 sq. ed. tert. et §. 599. 2. a. p. 1409 eiusd. edit.

Placet extremo adscribere locum ex Lysiae orat. contra Theomn. prima depromptum, in quo facile quispiam primo aspectu haereat. Legimus ibi p 116 extr. haec:

πολὺ γὰρ ἔργον ἦν τῷ νομοθέτῃ ἅπαντα τὰ ὀνόματα γράφειν, ὅσα τὴν αὐτὴν δύναμιν ἔχει· ἀλλὰ περὶ ἑνὸς εἰπὼν περὶ πάντων ἐδήλωσεν. οὐ γὰρ δήπου, ὦ Θεόμνηστε, εἰ μέν τίς σ' εἴποι πατραλοίαν ἢ μητραλοίαν, ἠξίους ἄν αὐτὸν

ὀφλεῖν σοι δίκην, εἰ δέ τις εἴποι, ὡς τὴν τεκοῦσαν ἢ τὸν φύσαντα ἔτυπτες, ᾤου ἂν αὐτὸν ἀζήμιον δεῖν εἶναι, ὡς οὐδὲν τῶν ἀποῤῥήτων εἰρηκότα. ἡδέως γὰρ ἄν σου πυθοίμην (περὶ τοῦτο γὰρ δεινὸς εἶ καὶ μεμελέτηκας καὶ ποιεῖν καὶ λέγειν)· εἴ τίς σε εἴποι ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα, ἐν δὲ τῷ νόμῳ εἴρητο, ἐάν τις φάσκῃ ἀποβεβληκέναι, ὑπόδικον εἶναι, οὐκ ἂν ἐδικάζου αὐτῷ, ἀλλ' ἐξήρκει ἄν σοι ἐῤῥιφέναι τὴν ἀσπίδα, λέγοντι οὐδέν σοι μέλει; οὐδὲ γὰρ τὸ αὐτό ἐστι ῥῖψαι καὶ ἀποβεβληκέναι.

At nihil offensionis in hoc loco esse concedet, qui intellexerit, verbis illis, εἰ μέν τίς σ' εἴποι πατραλοίαν ἢ μητραλοίαν, non veram protasin contineri eius membri, cuius apodosis sit haec, ἠξίους ἂν αὐτὸν ὀφλεῖν σοι δίκην, sed veram protasin, cui respondeat apodosis illa, omissam esse, id quod non raro fieri constat, veluti apud Soph. Ant. 390. ἐπεὶ σχολῇ ποθ' ἥξειν δεῦρ' ἂν ἐξηύχουν ἐγὼ ταῖς σαῖς ἀπειλαῖς, αἷς ἐχειμάσθην τότε. et Philoct. 869. οὐ γάρ ποτ', ὦ παῖ, τοῦτ' ἂν ἐξηύχησ' ἐγώ, τλῆναί σ' ἐλεινῶς ὧδε τἀμὰ πήματα μεῖναι. et apud Platon. Theaet. p. 144. τὸ γὰρ εὐμαθῆ ὄντα, ὡς ἄλλῳ χαλεπόν, πρᾷον αὖ εἶναι διαφερόντως, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνδρεῖον παρ' ὁντινοῦν, ἐγὼ μὲν οὔτ' ἂν ᾠόμην γενέσθαι οὔτε ὁρῶ γιγνομένους. Cfr. Matth. §. 599. b. Itaque quod dicit Lysias, οὐ γὰρ δήπου, εἰ μέν τίς σ' εἴποι — μητραλοίαν, ἠξίους ἂν αὐτὸν ὀφλεῖν σοι δίκην etc., idem est atque, οὐ γὰρ δήπου ἠξίους ἂν ἐκεῖνον, ὅς εἴποι σε πατραλοίαν ἢ μητραλοίαν, ὀφλεῖν σοι δίκην etc.

Electrae v. 879 sq.

Ἀλλ' ἦ μέμηνας, ὦ τάλαινα, κἀπὶ τοῖς
σαυτῆς κακοῖσι κἀπὶ τοῖς ἐμοῖς γελᾷς;

Iteratum κἀπὶ adeo molestum est, ut, qui Sophoclis elegantiam norit, facile sibi persuadeat, minime ab eo profectum existimari posse, quod neque ad sensum loci necessarium et auditorum auribus ingratum esset. Accedit, ut id omissum sit, quod addi paene necesse erat. Itaque non dubito, quin haec fuerit genuina scriptura:

ἀλλ' ἦ μέμηνας, ὦ τάλαινα, καὶ σὺ τοῖς
σαυτῆς κακοῖσι κἀπὶ τοῖς ἐμοῖς γελᾷς;

Hoc enim maxime miram habebat Electram, quae profert haec, quod ipsa soror, Chrysothemis, quacum colloquitur, malis suis irrideret. Unde σὺ pronomen addi debuisse patet, quod ipsum additum etiam in iis, quae ante extulit Electra v. 875 sq.:

πόθεν δ' ἂν εὕροις τῶν ἐμῶν σὺ πημάτων
ἄρηξιν, οἷς ἴασιν οὐκ ἔνεστ' ἰδεῖν;

Praepositionem autem *ἐπὶ* uti minime opus erat primo statim nomini praeponi (cfr. Antig. 366. Oed. R. 734. 761. et Matth. §. 595. 4.), ita additam illam ab interprete esse eo minus mirabimur, quo saepius in ipsam illam fabulam glossas illatas esse certum est. Ita v. 105:

ἔστ' ἂν παμφεγγεῖς ἄστρων
ῥιπάς, λεύσσω δὲ τόδ' ἦμαρ

ante *παμφεγγεῖς* in codicibus omnibus additum *λεύσσω* reperitur, quod cogente metro post Hermannum editores omnes iure expulerunt. In v. 128.:

ὦ γενέθλα γενναίων

item in codd. omnibus post *γενναίων* additur violato metro *πατέρων*, auctore Hermanno ab omnibus editoribus eiectum. In v. 174.:

ἔτι μέγας οὐρανῷ

quae in codicibus ante *οὐρανῷ* contra metrum addita reperitur *ἐν* praepositio, nemini non ab interprete profecta videbitur. Eandem praepositionem ab interprete illatam esse v. 221.:

ἐν δεινοῖς ἠναγκάσθην, ἐν δεινοῖς

scriptumque a Sophocle fuisse:

δεινοῖς ἠναγκάσθην, δεινοῖς

postquam Brunckius adductus metro lectores admonuit, nemo editorum, qui secuti sunt, contra dicendum putavit. V. 838 ita legimus in codicibus scriptum:

οἶδα γὰρ ἄνακτ' Ἀμφιάρεων χρυσοδέτοις
ἕρκεσι κρυφθέντα γυναικῶν ἀ π ά τ α ι ς.

At *ἀπάταις* et metro et sensu postulante inde a Brunckio editores omnes eiecerunt, ut ab interprete additum. Eodem illo editore praeeunte v. 856:

τί φῄς; αὐδᾷς δὲ ποῖον;

expulsa sunt constanter verba, *αὐδᾷς δὲ ποῖον,* quamvis in omnibus codicibus addita.

Porro glossa veram scripturam expulit v. 102. ubi pro *αἰκῶς* libri *ἀδίκως* habent, v. 271, ubi pro vera scriptura *αὐτοέντην* in libris est *αὐτοφόντην*, aliisque in locis, de quibus dictum in Commentatione de Scholiorum in Sophoclis tragg. auctoritate p. 33 et 37. Percommode enim accidit, ut in illis, quos dico, locis genuina scriptura a Scholiasta servaretur. Verum est etiam, ubi a scholiis destituti

illud tantum vel ex metro vel e sensu intelligimus, glossam pro genuina scriptura nobis servatam in codicibus esse, vera autem quae sit scriptura, coniectura tantum assequi possumus, veluti v. 21: *ὡς ἐνταῦϑ᾽ ἐσμέν, ἵν᾽ οὐκέτ᾽ ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ᾽ ἔργων ἀκμή.* v. 139: *οὔτε γόοις οὔτε λιταῖσιν.* v. 495: *πρὸ τῶνδέ τοι μ᾽ ἔχει.* v. 818: *ἀλλ᾽ οὔτι μὴν ἔγωγε τοῦ λοιποῦ χρόνου ξύνοικος ἔσομαι, ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ παρεῖσ᾽ ἐμαυτὴν ἄφιλος αὐανῶ βίον.* v. 1396: *ὁ Μαίας δὲ παῖς Ἑρμῆς σφ᾽ ἄγει.*

Electr. v. 1451.

ΑΙΓ. ποῦ δῆτ᾽ ἂν εἶεν οἱ ξένοι; δίδασκέ με.
ΗΛΕ. ἔνδον. φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν.

Ita hic locus in codicibus omnibus scriptus reperitur. Neque editorum quisquam fuit, qui turbatum hic aliquid a librariis crederet, quamquam illud non dubium est, quin haec verba, *φίλης γὰρ — κατήνυσαν,* insolentius certe dicta lectoribus nonnullis visa sint. De iis Hermannus:

„Verba *φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν* citant Eustathius p. 405, 17 (307, 14) et Moschopulus Dict. Att. v. *προξενῶ.* Brunckius ellipticam locutionem esse vult pro *κατήνυσαν τὴν ὁδὸν εἰς φίλης προξένου οἶκον.* Glossae et Schol. cod. Lips.: *ἐπὶ ἀρεστῆς γὰρ ἀναδόχου. ἤγουν κατηνέχϑησαν, κατῆραν. ἤνυσα τὴν ὁδὸν ἁπλῶς ἀντὶ τοῦ ἐπλήρωσα. κατήνυσα δέ, εἰς λιμένα ἢ εἰς καταγώγιον. ὅμοιον τῷ κατάγομαι καὶ καταίρω. Ἀνύω* simplex et cum *ἐξ* et *κατὰ* compositum saepe tragici cum accusativo construunt, ut sit devenire aliquo. Interdum cum praepositione, ut *ἀνύσαι ἐπὶ ἀκτάν* apud Euripidem Hippol. 743. Hic genitivi pendent e particula *κατά,* quae in verbo est. Quae cum et *ad* et *contra aliquem* significet, ambigua est oratio simul et propter casum nominis et propter verbum. Aegisthum enim haec ita intelligere vult: *confecerunt* (iter) *ad amicam hospitam*; ipsa hoc dicit: *confecerunt* (rem) *contra amicam hospitam.* Alia ratio est genitivi in Oed. Col. 1755. *τίνος, ὦ παῖδες, χρείας ἀνύσαι,* quam non perspexit Dawesius in Misc. crit. p. 206. (p. 374. ed. Kidd., qui hic quoque sui se similem ostendit)."

Verbum *ἀνύειν* et *κατανύειν* suppresso nomine *ὁδὸν* eodem sensu quo verbum

perveniendi non solum a poetis tragicis, sed etiam ab aliis Graecis usurpatum esse, nemini ignotum est. Itaque prouti ratio fert et usus nunc cum solo accusativo, nunc cum *πρός*, nunc cum *ἐπί*, nunc cum *εἰς* praepositione iungitur. Cfr. nos ad Oed. Col. 1546., Wesseling. ad Herod. VI., 140. At ut numquam *ἔρχεσθαι* aut *κατέρχεσθαί τινος* ita dictum est, ut significaret *venire ad* vel *contra aliquem* (cave enim ne *καθικνεῖσθαί τινος* conferas), ita ne *κατανύειν* quidem, *perveniendi* sensu positum, cum genitivo coniungi potuit. Itaque neque Brunckii interpretatio huius loci neque prior illa Hermanni, *confecerunt iter ad amicam hospitam* explicantis, ulla ratione probari potest.

Neque vero illud ab Hermanno exemplis probatum est, potuisse verbum *κατανύειν*, *conficere rem* significans, cum genitivo hominis coniungi, contra quem res confici dicatur. Neque enim *καταπράσσειν* et quae sunt similia ratione ista cum genitivo construuntur; diversa autem *καταγελᾶν*, *κατηγορεῖν*, alia eiusdem generis esse, facile cuivis apparebit. Verum ut id fieri potuisse paulisper Hermanno concedam, illud tamen certissimum est, istiusmodi sensum ab huius loci ratione alienissimum esse. Intelligitur enim ex *γὰρ* particula, his verbis, *φίλης γὰρ προξένου κατήνυσαν*, explicari id debere, quod modo positum est, *ἔνδον*, id est demonstrari ab Electra debere, quam ob causam hospites illi, qui ubi sint Aegisthus quaerit, intus in domo ipsa versentur. Mirari enim hoc Aegisthus iure poterat, quid esset, quod hospites illi, homines ignoti, intus apud Clytaemnestram versarentur. Ex quo sequitur continuo, minime id Electram, quod Hermannus vult, dicere potuisse, *rem contra amicam hospitam confecerunt*, sed hoc scripsisse Sophoclem debere, cuius sensus hic esset: *amicitia enim et hospitio iuncti sunt cum ea, ad quam accesserunt.* Ei autem sensui, quem totius loci ratio flagitat, non solum structura verbi *κατανύειν* refragatur, sed etiam vocabuli *πρόξενος* usus, quo cum constanter *hospes publicus* significetur, Clytaemnestrae, mulieri adeo, id nomen nullo pacto tribui potuit.

Haec omnia qui consideraverit, non dubitabit, quin iam ante Eustathium et Moschopulum hic locus librarii negligentia corruptus sit scriptumque a Sophocle fuerit:

ἔνδον. φίλης γὰρ π ρ ὸ ς ξ έ ν ο υ κατήνυσαν.

i. e. *intus sunt. ad amicae enim hospitae domum pervenerunt.* Bene autem fecit Sophocles, quod vitandae et ambiguitatis et soni asperitatis causa non *ξένης* scripsit, sed *ξένου*. Neque solus ille formam generis masculini de femina usurpavit. Sic tiam Euripides Suppl. v. 94.:

τί χρῆμα; καινὰς ἐςβολὰς ὁρῶ λόγων,
μητέρα γεραιὰν βωμίαν ἐφημένην,
ξένους θ' ὁμοῦ γυναῖκας.

Addo illud, vehementer errare, qui ex Euripidis Hippol. 363. aliquid firmamenti accedere scripturae vulgatae loci Sophoclei opinentur. Ibi enim quod in codicibus scriptum legitur:

ὀλοίμαν ἔγωγε, πρὶν σὰν φίλαν
κατανύσαι φρενῶν,

quamquam Elmsleius ita corrigendum putavit, ut scriberetur, *πρὶν σᾶν, φίλα, κατανύσαι φρενῶν*, tamen id summo iure improbatum est a Matthiaeo, reprehendendosque editores illos puto, qui secuti Elmsleium sunt, minime demonstrantes, id quod ante omnia demonstrandum erat, loci sensui linguaeque usui eam scripturam convenire.

Sophoclis Oed. Colon. v. 228 *sq.*

Οὐδενὶ μοιραδία τίσις ἔρχεται
ὧν προπάθῃ τὸ τίνειν.

Nemo adhuc repertus est, qui corruptela affectum hunc locum putaret, quem ego non dubito contendere gravi soloecismo laborare. Non illud dico, quod pro eo, quod scribere debuit poeta, si vulgarem grammaticae legem servare voluisset, *τοῦ τίνειν ταῦτα, ἅ τις προπάθῃ, οὐδενὶ μοιραδία τίσις ἔρχεται*, ***nemo propterea, quod iniurias, quas perpessus erit, ulciscitur, a fato punitur***, ita scripsit nominativo absoluto posito, *τὸ τίνειν ταῦτα, ἅ τις προπάθῃ, (τούτου) οὐδενὶ μοιραδία τίσις ἔρχεται.* Similia enim anacolutha non solum apud poetas, sed etiam apud prosaicos scriptores reperiri, in adnotatione ad locum illum scripta probavi. Sed hoc dico, quod genitivus positus est *ὧν*, qui unde aptus sit, nemo umquam demonstrare poterit. Itaque sine dubitatione scribendum *ἅν* puto, id est *ἃ ἄν*, quae vocabula saepissime Sophoclem composuisse et in unam vocem coniunxisse videmus, veluti eiusdem fab. v. 13. Ant. 1057. Oed. R. 580. Ai. 1085.

Sophoclis Oed. Colon. v. 1028.

Ἀλλ' ἐξυφηγοῦ· γνῶθι δ', ὡς ἔχων ἔχει.
καί σ' εἷλε θηρῶνθ' ἡ τύχη· τὰ γὰρ δόλῳ
τῷ μὴ δικαίῳ κτήματ' οὐχὶ σώζεται.
κοὐκ ἄλλον ἕξεις ἐς τάδ'· ὡς ἔξοιδά σε
οὐ ψιλόν, οὐδ' ἄσκευον ἐς τοσήνδ' ὕβριν
ἥκοντα τόλμης τῆς παρεστώσης τὰ νῦν,
ἀλλ' ἔσθ' ὅτῳ σὺ πιστὸς ὢν ἔδρας τάδε.

Hoc quoque in loco quamquam nemo dum editorum haesit, tamen tam facile est intellectu, corruptam esse librorum scripturam, quam manifestum, quid in eius locum substituendum sit. Pugnant enim prorsus verba *κοὐκ ἄλλον ἕξεις ἐς τάδε*, quibus negatur cum armatis accessisse Creo ad abducendas filias Oedipi, cum illis, quae statim adduntur, *ὡς ἔξοιδά σε οὐ ψιλόν, οὐδ' ἄσκευον ἐς τοσήνδ' ὕβριν ἥκοντα τόλμης τῆς παρεστώσης τὰ νῦν, ἀλλ' ἔσθ' ὅτῳ σὺ πιστὸς ὢν ἔδρας τάδε.* Itaque certum est, Sophoclem ita scripsisse:

τὰ γὰρ δόλῳ
τῷ μὴ δικαίῳ κτήματ' οὐχὶ σώζεται.
εἰ κἄλλον ἕξεις ἐς τάδε.